

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae X.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

Plenior] Ditiore. sic *tenues* dicuntur hi, qui domesticam rem non habent.

Battara ERN. Vacerra] Cum quo suauiter viuere solebas.

Quid constitueris] De mansione vel redditu.

Cn. Octavius, an Cn. Cornelius quidam] Notat hominis ignobilitatem, cuius prope certum nomen ignoretur. propterea cum ironia subiunxit, *summo genere natus*: et, *terrae filius*: quod in obscurissimi loci homines confertur. itaque lib. I. ad Attic. epist. 13. *haec*, inquit, *terrae filio*, nescio cui, *committere epistolam tantis de rebus non audeo*. Arnobius autem lib. 8. sic de Saturno: *Terrae et Caeli fi-*

lius, quod apud Italos esset ignotis parentibus, proditus: ut in hodiernum inopinato visos, caelo missos; ignobiles et ignotos, terrae filios nominamus. Omitto, quae alii, ut adagium confirmarent, exempla coniecerunt: sunt enim in promptu. Lusit in eundem Octavius epist. 16. *Oro te, quis tu es?*

Crebro ad cenam inuitat] Ineptum hominem carpit, qui crebro Ciceronem, summis honoribus functum, homo ignotus ad cenam inuitaret, quia sciret esse Trebatii, communis amici, familiarem.

Non potuit perducere] In quo habuit Cicero rationem suae dignitatis, quam non habebat, cum cum crebro inuitaret, Octavius.

EPISTOLAE X.

ARGUMENTVM.

Obiicit haec Trebatius vitia per iocum, ambitionem, inscitiam, paupertatem, timiditatem: deinde petit, ut quam primum significet, quid profecerint litterae ad Caesarem de eo diligenter scriptae; et omnino de toto statu suo consiliisque omnibus certiores se faciat. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Valde iureconsultum videri] Hoc significauerant litterae Trebatii: in quo notat eius ambitionem cetero.

Aliquid sapere] Quasi nihil sapere Romae videretur, ubi peritiores plurimi essent.

Peritor te] Laudare videtur, et vituperat. nam in Britannia iuris civilis nulla peritia. quis igitur eum laude dignum putet, qui sapere videtur inter stultos, aut esse doctus inter ignaros litterarum? ea demum vera laus est, cuius praestantia cognoscitur ex compa-

ratione similium. itaque nec Homerus Achillem cum ignauo, sed cum omnium Troianorum fortissimo Hectorre committit: et Virgilius certamen facit inter Aeneam et Turnum; ut, superato Turno, cui primas fortitudinis partes tribuit, magis Aeneam extollat. Alterum igitur hoc est, in quo Trebatium tamquam imperitum irridet.

A te inuitatus] Dupliciter hoc accipi potest; vel quod in suis litteris aperte iocatus erat Trebatius; vel quod magni se a Caesare aestimari dixerat: quo se ad ridendum

dum esse inuitatum Cicero demonstrat; quasi eius gloriolam ridere merito posset. huic sententiae congruunt ea, quae statim sequuntur.

Vltro te etiam arcessitum ab eo] Id scripserat Trebatius: ideoque iocans Cicero respondit, intellexi, te Caesari nostro valde inreconsultum videri. *Vltro* et cum verbis actionem significantibus iungitur, vt, *vtro ad me venit, vltro se mihi obtulit*; cuius generis exempla satis patent; et cum verbis, quae patiendi notionem continent: quo modo dixit Cicero orat. 3. in Catil. c. 9. *Vt homines Galli ex ciuitate male poeata, — spem imperii et rerum amplissimarum vltro sibi a patriciis hominibus oblatam negligerent.* Et Caesar lib. 5. de bell. Gall. c. 40. *Ipsa Cicero, cum tenuissima valetudine esset, ne noturnum quidem sibi tempus ad quietem relinquebat; vt vltro militum concursu, ac vocibus sibi parcere cogeretur.* Et Terentius in Adelph. Act. 4. Sc. 3. v. 3.

Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant;

Sibi fieri iniuriam vltro, si quam fecere ipsi exposulant.

Occupationem] Venit in mentem nonnullis, legendum, occupationes, contra veteres omnes libros, et consuetudinem Latinae linguae. nam *occupatio*, quamquam singulare nomen, multarum tamen rerum curam aequè complectitur, vt *occupationes*. epist. 17. *Si qua te forte res aliquando offenderit, cum ille aut occupatione, aut difficultate tardior tibi erit visus, perfero.* Lib. 5. epist. 12. *Potest mihi denegare occupatio tua.*

Adspirare non possunt] *Adspirare*, pertinet ad ea, quae consequi nequimus. lib. 2. ad Attic. epist. 24. *Caesar Vettium in Rostra produxit; eumque in eo loco constituit, quo Bibulo consuli adspirare non liceret.* In Bruto c. 21. *Ex bellica laude adspirare ad Africanum nemo potest.* Eodem spectant reliqua Ciceronis exempla.

Ne frigeas in hibernis.] Quia Trebatius hiemabat, hinc occasionem iocandi sumit Cicero. *Frigere* autem est, nihil agere: nam actio calefacit. Metuo, inquit, ne non optime tecum agatur; quandoquidem opera tua Caesar in bello non vitur. Coelius lib. 8. epist. 6. *Quod tibi supra scripsi, Curionem valde frigere; iam calet.*

Camino luculento utendum censeo] Caminus non idem apud nos est, qui apud veteres. quae enim quasi gula adscendentem e foco ignem excipit, et extra tectum educit innocenter, is *caminus* a nobis appellatur. illi modo pro fornace, cui *caminus* Latine respondet, modo pro hypocausto, interdum pro igne usurpabant. De fornace Virgilius lib. 3. Aen. v. 580.

— *Ruptis flammam exspirare caminis.*

Iuuenalis sat. 14. v. 117.

Sed crescunt quocumque modo, maioraque fiunt,

Incude assidua, semperque ardente camino.

De hypocausto accepisse videtur Galenus lib. 5. de sanitate tuenda. De camino, quo homines calefiunt, hic Cicero. nam in castris, vbi Trebatius erat, fornacibus aut hypocaustis milites vsos esse, verisimile non videtur. Et Cato de re rust.

Abena

Athena duo, haras decem, focum, ianuam maximam. Eodem sensu Horatius lib. I. Serm. sat. 5. v. 79.

— *Nisi nos vicina Trivici
Villa recepisset, lacrimoso non
sine fumo,
Vdos cum foliis ramos vrente
camino.*

Et lib. I. epist. II. v. 19.

*Per brumam Tiberis, Sextili
mense caminus.*

De hoc tertio genere, quo caminus noster vocabulo saltem refertur, nec multa, nec ita pauca dicam, ut, qui antiquitate capiuntur, aliqua ex parte contenti esse possint. Loco et forma differebant a nostro. non enim, ut nunc, in excavato pariete, quo simul cum fumo ignis excipitur, sed, ut monere videntur exempli, in medio cubiculo hiberno, quod conclaue dicebatur, (nam in aestivis et exhedris focum non fuisse, colligitur ex Vitruvio lib. 7. c. 3.) fieri solebant. propterea dixit Cato de re rust. c. 143. *Focum purum circumuersum quotidie prius quam cubitum eat, habeat.* Quo modo enim circumuerti focus posset, si fuisset, more nostro, in excavato pariete? nostri a lateribus verruntur, a tergo nec possunt, nec opus est. Et cum ait Columella lib. II. c. 1. *Consuescat rusticus circa larem domini, focumque familiae em semper epulari:* quid aliud significat, nisi larem et focum, circa quem epularetur familia rustica, medium in conclauis locum tenuisse? Nunc agatur de forma. Exitum ignis caminus antiquus non habebat. itaque molestia fumi vacare non poterat, nisi vel ligna vrerent, quod Cato docuit, amurca illita, vel aper-

tis fenestris vterentur: quorum alterum impensae non minimae: alterum qui ferri posset, cum per fenestras, hieme praesertim, frigori et ventis aditus pateret, non intelligo. Sed certe Horatius, *lacrimoso non sine fumo*, cum dixit, exitu caminum caruisse demonstrat. Clarior haec tota res fiet aliorum testimoniis: nam vno remanet obscurior. Columella lib. I. c. 6. *Oleum, quod minus prouenit, si congelatur, fracescet. Sed ut calore naturali est opus, qui contingit positione caeli, et declinatione: ita non est opus ignibus, aut flammis: quoniam fumo et fuligine sapor olei corrumpitur.* Palladius quoque Columellam, ut videtur, imitatus, lib. I. c. 20. de cella loquens, *olearia, inquit, si quis maiori diligentiae studet, subiectis hinc inde cuniculis pavimenta suspendat, et ignem suggerat fornace succensa. ita purus calor olei cellam sine fumi nidore vaporabit: quo saepe infectum colore corrumpitur, et sapore.* Si caminus nostro similis fuisset, quo ignis cum fumo et fuligine excipitur: quid erat, cur ignem remouerent, ne fumus et fuligo saporem olei corrumperent? Eodem loco subiunxit Columella de utilitate camini, qui vinariis supponatur apothecis. *Apothecae recte supponentur iis locis, unde plerumque fumus earum exoritur: quoniam vina celerius vetustescunt, quae fumi quodam tepore praecoquem maturitatem trahunt.* Et lib. 8. c. 3. de gallinariis: *luncta sint ea furno, vel culinae, ut ad eam perveniat fumus, qui est huic generi praecipue salutaris.* Quo modo ex culina fumus in gallinarium transit, nisi quia per caminum

num adscensum ad superiora non habet? Confirmat idem subiungens paullo post: *Huic autem focus applicetur tam longus, ut nec impediat praedictos aditus, et ab eo fumus perveniat in utramque cellam.* Iam fuligo non inhaeret hodie quidem tecto, sed camino. fit enim ex fumo: fumum autem caminus excipit. At Columella lib. 11. c. vii. tectis eam dicit inhaerere: nimirum quia fumus exitum non haberet. *Fuligo, inquit, quae supra focos tectis inhaeret, colligi debet.* Et quoniam, si fumo exitus non datur, sequitur, ut nec igni: propterea culinam altam fieri in rustica villae parte, ut contignatio careat incendii periculo, iubet idem Columella lib. 1. c. 7. Vitruvius quoque fumum et fuliginem in conclauibus, id est in hibernis cubiculis, vitari non posse, lib. 7. c. 3. auctor est. *Coronarum, inquit, aliae sunt purae, aliae caelatae. Conclauibus, aut ubi ignis, aut plura lumina sunt ponenda, purae fieri debent, ut eas facilius extergeantur. in aestiuis et exhedris, ubi minime fumus est, nec fuligo potest nocere, ibi caelatae sunt faciendae. et eiusdem lib. c. 4. Tricliniis hibernis non est utilis haec compositio, nec megalographia, nec camerarum coronario opere subtilis ornatus: quod ea et ab ignis fumo, et ab luminum crebris fuliginibus corrumpuntur.*

Mucio] Iurisconsulto, de quo L. 2. §. 39. D. de orig. iur.

Manilio] Et hic iurisconsultus erat. epist. 8.

Placebat] Sic infra, epist. 17. Hoc, quemadmodum vos scribere soletis in vestris libris, idem Q. Cornelia videbatur. Solebat enim

iurisconsultorum opinio, praesertim in re dubia, aliorum testimonio comprobari. unde illa L. 10. §. 1. D. de negot. gest. *Idque etiam Labeo probat.* L. 11. §. 3. D. ad L. Aquil. *Quod et Marcello videtur, et est probabilius.* L. 47. §. 4. D. de pecul. *Idque Iuliano videtur.* L. 13. pr. D. de in diem adiect. *Celsus quoque lib. 8. Digestorum refert, Mucium, Brutum, Labeonemque, et Sabinum ita existimare: ipse quoque Celsus idem probat.* L. 14. §. 1. D. eod. *Et ita Labeoni et Neruae placet.* L. 1. §. 2. D. de peric. et com. rei vend. *Si dolium signatum sit ab entore, Trebatius ait, traditum id videri: Labeo contra. quod et verum est.* L. 19. §. 1. D. loc. et cond. *Et ita Servio, Labeoni et Sabino placuit.* L. 17. §. 15. D. de aedil. edict. *Contra placere debere, Caelius ait: et Labeo probat.* L. 5. §. 1. D. de acquir. rer. dom. *Trebatius placuit.*

Sagis] Sagum vestitus militaris. itaque saepe in tumultu aliquo perturbationeque reipublicae, togis depositis, saga in vrbe sumpta.

Satis calere] Plus habere negotii, quam vellem. hoc dicit propter allatum antea nuncium de hostibus in Britannia vehementer contra Caesarem pugnantis.

Cautior] Cauere aliis iurisconsulti dicebantur. epist. 6. et lib. 3. epist. 1.

Quam in aduocationibus] Et hic notatur inscitia: quasi non optime Trebatius caueret iis, quorum esset aduocatus. Quid autem aduocatus et aduocatio sit, Asconius ad Diuin. c. 4. ostendit his verbis: *Qui defendit alterum in iudicio, aut patronus dicitur, si orator est,*

aut

aut advocatus, si aut ius suggerit, aut praesentiam suam commodat amico, aut procurator, si negotium suscipit, aut cognitor, si praesentis causam novit, et sic tuetur, ut suam. Idem ad lib. I. in Ver. c. 49. Vel, uti consulantur, conveniunt advocati, vel, ut alterutri parti apud arbitros adsint, vel, ut ipsi iudices in rem aliquam capiantur. Epist. II. Ego omnibus, unde petitur, hoc consilii dederim, ut a singulis interregibus binas advocaciones postulent. Et epist. 14. Minus multi iam, te advocato, causa cadent. Posterior aetas ad causarum actores hoc vocabulum transulit. Tacitus in prooemio dialogi de orat. Horum, inquit, temporum deserti caussidici, et advocati, et patroni, et quidvis potius, quam oratores, vocantur.

In Oceano nature] Iocatur in Trebatii timiditatem, qui cum Caesare in Britanniam navigare noluerit.

Essedarios] Quorum impetum timuerat.

Ne Andabatam quidem] Lusus fuisse genus, quo clausis oculis certaretur, existimo. nec tamen, luisse antea, ut andabatam, Trebatium, et id a Cicerone significari, putemus. Sed hoc dicitur: antea spectare quidlibet volebas: nunc essedariorum spectaculum vitasti. Prouerbiū, *ne andabatam quidem defraudare*, videtur in eos usurpanti solitum, qui omnia cernerent, ut nihil iis, non si oculos quidem andabatarum more clauderent, occultum esse posset. Eodem modo dicitur in Trebatium, nullo eum spectaculo priuari voluisse, quem admodum andabatae, licet oculis

clausis, tamen interdum ludentes defraudari non possunt. Vfus est hoc prouerbio duobus in locis D. Hieronymus, aduersus Heluidium, et contra Iouinianum. Nonius Varronem appellat in Andabatis.

Quid agas] Hoc refertur ad illud, de toto statu tuo.

Quid exspectes] Quid commodi. Putes] Hoc ad illud pertinet, quod proxime dixerat, consiliisque omnibus.

Attraham] Plus est, quam, vocem.

Aduoles] Et hoc plus, quam, venias.

Non modo hostes] Non dicam hostes: patet enim congressionem nostram esse iucundissimam, hostes autem formidabiles, et permolestos: sed ipsi Aedui, fratres nostri, quorum consuetudine delectamur. Aedui fratres populi Romani, cognita eorum fide, vocati sunt. lib. I. ad Attic. epist. 19. Aedui, fratres nostri, pugnant. Tacitus lib. II. Annal. c. 25. Primi Aedui senatorum in vrbe ius adepti sunt. datum id foederi antiquo, et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant. Plutarchus in Caesare.

Aut consolando, aut consilio, aut re iuvero] Senarius integer, e Terentii Heautontimorumeno translatus in hunc locum. sic enim in ea fabula Act. I. Sc. I. v. 32. cum Menedemo loquens Chremes inducitur:

Ne lacruma; atque istuc, quidquid est, fac me, ut sciam:

Ne retice, ne verere, crede, inquam, mihi,

Aut consolando, aut consilio, aut re iuvero.

Ff 5

Teren-